

necessarium est propter magnam inflammationem, unde duplare cogitur homo respirationem, ut vel hac ratione in maximo calore refocilletur cor. Febris quoque adest continua, propterea quod inflammatio usque eò vicina est cordi. Pulsus est frequens non nimis magnus, durus, & inæqualis, eaque ratione ad ferræ modum asper. Concurrit quoque tussis, primò quidem sicca, quo tempore nihil quasi extunditur, tandem sputa pro diversa natura excrementi variè colorata reiiciuntur, & magis fiunt humida, plura quoque reiicere incipit, estque magna ex parte id flauum quod reiicitur, hinc fit rubeum & cruentum, tandem verò ad maturitatem perducto apostemate, fit purulentum. Decubitus in affectâ partem facilior quam in alteram; potius tamen supinè cubat æger, malè enim affecto lateri si incumbat, dolor augetur, eò quod subiecto corpore materia plus diffundatur propter pressuram. In latus verò sanum si conuertatur, pleura, vel membrana affecta magis distenditur, eo quod tumor suspendatur, & quasi pondere dependeat. Sub noctem dolor hîc plerumque intenditur. Contingit autem hoc malum quandoque terminari, eò quod materia exudet sensim ad pulmonem, sicque cum tussi expellitur; quod ut frequenter euenit, sic maximè optandum est. Aliàs quoque per cutis poros insensiles quasi euaporat; hocque rariùs accidit. Aliàs materia maturatur, in saniemque transit, apertoque abscessu, nisi tunc tussi reiiciatur, in quadraginta diebus empiricus aut phthisicus fit æger. Materia autem dum suppurari incipit, dolores febresque intenduntur, difficilius spirat, parum aut nihil tussi reiicit, maior in maxillis rubedo efflorescit, vigiliis, siti que torquetur. Remittuntur autem pure iam confecto, dolor atque febris; magis autem tussit, parum interim reiicitur. Tempore autem eo quo rupto abscessus instat, dolor febrisque increfcit, spiritus difficilius ducitur: vires labuntur, homo inhorrescit. Viribus constantibus hæc si fiant, bonaque sint quæ sputo redduntur, bene sperandum est.